AD ORNATISSIMVM, DOCTISSIMVM'QVE VIRVM D. GODEFRIDVM GROPPERVM LL. PROFESSOREM consultissimum, Gerardi Hutingij Dotinchemensis carmen προσφωνητικόν.

INTER tot fratris mœstissima fata querentes,
En ego, mi Doctor, sum Godefride simul.
Si Mecœnates quondam deflere poëtas
Addecuit: mutos nos minus esse decet.
Haud etenim frater nobis tuus infima dona
Præstitit: & nostram fouit amore Domum.
Hoc satis ostendit nostræ legata Iuuentæ,
Perpetuo durans lectio sacra die.
Vt taceam, quoties nos ad sua prandia secum
Duxerit, & multis iuuerit vsque modis.
Adde quod & fidei commiserit omnia nostræ
Instituenda probè pignora chara tua.
Quorum pars frugem magnam nunc attigit: amplum
Gymnasio nostro progenitura decus.
Pars disciplinæ nostræ modò castra sequendo,
Exhibet in cunctis spem studiosa parem.
Ingratos igitur nos possent saxa fateri:
Si dolor iste nihil nos cruciaret atrox.
Ast vtinam liceat nobis properantia luctu,
Quo decuit fratris plangere fata tui.
Haud mea ritè satis tantum deflere Camœna
Nouit: & impediunt cura grauisque dolor.
Sed faciant alij grauiora poëmata, nostrum
Non puto despicies, fautor amice, rude.

Obtulerat paruum paupercula fœmina munus:
Econtrà vanè grandia Scriba tumens.
Sed tamen à CHRISTO plus fœmina laudis habebat,
Quàm quiuis alius maxima dona ferens.
Haud opus est etenim, sed mens pensanda, facultas
Omnibus haud æqua sorte tributa datur.
Dij faciant possis tetrum superare dolorem:
Vt mea soletur te quoque Musa rogo.
Nec fas est adeò lachrymis tabescere pectus:
Planctibus ex tumulo nemo redire potest.
Et quia tam prauis totus scatet actibus orbis:
Qui moritur citius nónne beatus erit?
Ergo tuus frater celebri post fata relicto
Nomine, iam lætus cælica regna colit.
At tibi iam fratris chari vice maximus æuo,
Gnatus Ioannes constituendus erit.
Id similes mores, probitas, industria, virtus,
Atq; Scholasteris munera clara iubent.
Quare deponas luctus & ἀκρόστιχα nostra,
Accipias vultu candidiore precor.
Si poterunt vires aliâs tibi plura canemus,
Qualia sint melius nomine digna tuo.
Id porrò longè melius præstabitur olim:
Hæc si quo videam grata fuisse modo.
Fac tamen intereà valeas, clarissime Doctor,
Vtque facis, semper perge fauere tuis.

IN